

327 AI RELIGIOSI (2)
Presentazione, 7 marzo 1747.

Testo latino originale dell'indizione del 1° Capitolo Gen.

Cum iam proxime elapsum sit triennium, ultra quod iuxta Constitutiones nostras nec Nobis licitum, nec Congregationi salutiferum esse videatur differre Universale Capitulum; ut nostri muneris partes quamcitus explere valeamus, illud ad diem decimam Aprilis proxime venturi 1747 in maiori nostra domo solitaria Orbetellensi indicare visum est et tibi, totique familiae tuae, ut par est, indicare, ut de facto per praesentes indicatum volo; quapropter tuum erit contendere, ut statuta die adesse possis, deferens tecum statum religiosi tui Recessus, nempe inventarium tam rerum quae ad Divinum Cultum pertinent, quam earum quae in Recessu sunt ad usum et victum Religiosorum, nec non quid eleemosynarum usque nunc receptum sit, cumque expensis, et quid residuum apud Syndicum adhuc sit.

Insuper a die septima dicti mensis usque ad diem decimam fiet expositio SS.mi Sacramenti, ante quod cantabitur *Veni Creator* etc. et quinquies recitabitur *Pater* et *Ave* cum *Gloria Patri* ad honorem quinque Plagarum Domini et cetera, quae de more fieri solent. Mane post Tertiam, antequam discedatur e choro ter recitabitur *Pater* et *Ave* cum *Gloria Patri* ad honorem SS.mae Trinitatis. Post Nonam item ter recitabitur *Pater* et *Ave* in honorem trium horarum, quibus pro nobis pependit in cruce Dominus noster Jesus Christus. Post Vesperas recitabuntur Litaniae B.mae V. Mariae. Post Completorium ter *Pater* et *Ave* cum *Gloria Patri* ad honorem lacrymarum quas eadem B.ma Virgo stans ante crucem copiosissime fudit.

Hae omnes preces recitabuntur usque ad diem decimam sextam dicti mensis. Juxta quod tempus enixe rogamus unumquemque Fratrum, ut peculiariter ad Deum Dominum nostrum ac B.mam Virginem preces continuas habeat, ut, superabundante Spiritus Sancti gratia, lumina ad tantum opus pernecessaria pro bono totius Congregationis obtinere valeamus.

Datum ex Domo nostra solitaria Praesentationis Territorii Orbetellensis.
Die 7 Martii, 1747.

Paulus a Cruce, Praep.
Franciscus Antonius de Crucifixo
Clericus discalceatus et Secretarius